



# MEMORIA

## D. IOANNIS FECHTII.



IOANNES FECHTIUS

**N**ascitur Sulzbergae Brisgoiorum, oppido quatuor milliaribus Basilea Rauracorum et tribus Friburgo-Brisgoiorum distante, Serenissimorum quondam Marchionum Badensium lineae Durlacensis, postea vero Serenissimis plerumque Viduis assignata sede, anno reparatae salutis post millesimum sexcentesium trigesimo sexto, die decimo et quinto, siue secundum recentiorem supputandi rationem, vigesimo et quinto Decembris, ipso nempe CHRISTI natali, paulo ante lucis exortum. Parentibus, IOANNE FECHTIO, Pastore Sulzbergensi et Marchionatus Hochbergici Superint. Speciali, Serenissimaque tum Viduae Marchionissae, *ELISABETHAE EVSEBIAE*, a concionibus et confessione, et REGINA BARBARA, Iō. IACOBI DAHLERI, Superioris Marchionatus Generalis Superintend. et Antistitis Emmendingensis, filia. Misera tum Germaniae facies erat. Bello omnia ardebant. Patria cum primis deplorandum in modum vastata vbiq̄ue. Parentes nostri non semel, sed saepius spoliati, capti,